



illo tempore artes philosophicas, praecipue doctrinas, quibus se consecraturus erat, theologicas profitebantur, sedulo usus est. Pro rostris sacris verba fecit frequenter, et, quod Moshemii orationes sacras cum primis lectitabat, earumque virtutes imitatione adsequi studebat, non defuit illi plausus intelligentium, qui quidem dederat calcem. At enim, quod in orationibus sacris plus iusto philosophari quibusdam videbatur, mota ei est controuersia, quae eum sic adfecit, ut mutaret mentem sacri muneris aliquando ambiendi. Quinimo parum afuit, quin consilium conscendendi vmquam sacri suggestus plane abiecisset. *Succouius* enim, iuuenis viuidi acrisque ingenii, et laudis plaususque cupidus, et a multis iam litteris, praecipue philosophicis ac mathematicis, instructus, in cathedra sacra tantummodo tonare, aut lamentari et pie gemere, siue potius nugari, aut catalogum dictorum sacrorum, nulla delectus, aut sensus atque interpretationis ratione habita, proiicere frigideque declamare nec voluit nec potuit. Contra, quantum fas erat, ratione usus, ad maiorem sacrarum doctrinarum intelligentiam, et consensum rationis humanae ac diuinorum oraculorum confirmandum, res demonstrare suevit. Enimuero, quamquam paene fabulam lepidam narrare videbor quibusdam, tamen historia, quam accepi, vera est. Aliquando fecerat verba *Succouius*, explicans pericopam epistolicam: *O! quanta profunditas sapientiae!* etc. Placet oratio eruditis et philosophis: at theologi quidam Rostochienses, qui, maxime diuifis eo tempore sententiis, omnem philosophiam, praecipue, quae tum illis videbatur, recentiore, sacrae religioni et fidei orthodoxae in primis periculosam infestamque putarant, aegre ferunt illam licentiam; *Succouium* postulant prauae doctrinae et in

B

sacrum